

Pii V. proxime allegatam, et communicationem privilegiorum Societatis JESU, post absolutum dictum œcumenicum concilium, Congregationi clericorum regularium Thealino- rum expresse concessam, juxta dicta n. 44. Tale privilegium, concilio Tridentino posterius, concessit Gregorius XIII Societati JESU in jam dicta bulla, *Pium et utile*. § 3. Et quamvis idem Pontifex § 4. expresse prohibuerit memoratum privilegium communicare aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate JESU expresse communicant: nihilominus, cum non habeat imperium par in parem c. *Innotuit*. 20. *de Election.* per dictam clausulam ipse non ligavit manus successorum suorum, quin eandem gratiam aliis quibusdam ordinibus concederent, seu communicarent: prout est factum. Sic quippe Clemens VIII, die 23 novembris 1596, concessit Congregationi sancti Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut possint ordinari extra tempora, et per quemcumque episcopum, communionem Ecclesiæ catholicæ habentem, tribus dominicis, vel festis diebus continuis, vel interpolatis, etiam non servatis interstitiis. Quod privilegium oculis suis sese vidisse, testatur Portel in *Dubiis regularium*. vers. *Ordo*. n. 4. Atque eandem gratiam ut a quocumque catholico antistite sacros ordines etiam extra tempora a jure statuta, tribus diebus festis suscipere valeant, a Pio IV factam esse Ordini sancti Joannis Hierosolymitani, habetur ex ejusdem bulla 9. quæ incipit, *Circumspecta*. § 62 (ac refertur tom. II. *Bullarii Romani*.), quæ postmodum confirmata fuit per beatum Pium V, Gregorium XIII, Sixtum V, Gregorium XV, et Clementem VIII, prout citatis singulorum Pontificum bullis ostendit Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 4, n. 65. Porro in hisce, et aliis hujusmodi privilegiis, communicare Ordinem Fratrum Minorum, patet ex paulo superius dictis n. 45. (ADNOTATIO XLIV.)

52. *Nomine diei festivi an comprehendatur festum duplex? Refertur, ac probatur sententiæ affirmativa.* — Quæritur VI. Quid intelligatur nomine *diei festivi*, quomodo ordines minores, tum etiam virtute privilegiorum ordines majores conferri possunt? Non pauci doctores asserunt, nomine *diei festivi* non solum comprehendere festum fori, in quo sub præcepto est abstinendum ab operibus servilibus; sed etiam festum chori, quod sub ritu duplici celebratur: ut Emmanuel Rodericus, tom. III, *Quæst. regul.*, q. 23,

art. 5; Barbosa; part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 17, n. 7, citans Suarez, et alios; Engel, h. t., n. 18; ac fusius Gobat, tract. VIII, *Theolog. experiment.*, n. 472, et seqq. allegans plures alios, hancque sententiam appellans tam speculative, quam practice probabilem. Fundamentum præcipuum est: quia in cap. un. *de Reliquiis et venerat. Sanctor.*, in 6, sub nomine *festivitatum* etiam intelliguntur festa duplicia quatuor Evangelistarum, et quatuor Ecclesiæ Doctorum, hæc hæc (demptis festis Apostolorum) non sint festa fori, sed festa chori dumtaxat, duplicia tamen: idem ergo dicendum videtur in proposito; nam verba, si possunt, debent intelligi secundum propriam significationem, ac prout in jure accipiuntur. Verum his non obstantibus,

53. *Vera sententiæ ponitur.* — Resp. I. Per dies festivos quibus vel ex jure communi permittitur ordinum minorum collatio, vel ex speciali concessione pontificia possunt conferri ordines majores, comprehenduntur soli illi dies festi, qui sunt fori, atque a populo de præcepto servantur. Ita Glossa, in c. *Sane*, §. *Ad Sacror.*, h. t., per hujusmodi dies festivos intelligens *dies solemniores*, sive illos (ut nonnulli explicant) qui specificantur, in cap. ult. *de Feriis*; Lugo, lib. I, *Respons. moral.*, dub. 34; Sylvester, §. *Ordo*, 2, q. 6, et communior aliorum: qui tamen addunt sufficere, si in diocesi sit solemnitas diei festi, licet ubique non celebretur; ut inquit Barbosa, in c. *De eo*, n. 5, h. t. Ratio est, quia tum in jure, tum in vulgari locutione, nomine *diei festivi*, intelligitur dies festus, qui sub præcepto a populo servandus est; ut liquet ex can. 1, *de Consec.*, dist. 3, et cap. II et cap. ult. *de Feriis*. Hinc in simili, dum concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.*, præcepit, ut denuntiationes publice fiant in Ecclesia tribus continuis diebus festis, antequam matrimonium celebretur, semper intelligitur de tribus diebus festis de præcepto a populo observandis.

54. *Solvuntur contrariæ.* — Nec urget ratio, n. 52, in contrarium allata. Nam in cit. cap. un. *de Reliq. venerat. Sanctor.*, in 6, patet ex toto contextu, ibi nomen *festivarius* accipi in largiori significatione, ac prout sumitur in rubricis *Missalis*, et *Breviarii Romani*, videlicet pro festo duplici, sive deinde celebratur in foro, sive solum in choro. Secus est in nostro casu: alioquin enim, cum in *Breviario*, et *Missali*, nomine *Festi*, non solum officium

duplex, sed etiam simplex de Sanctis comprehendatur, sequeretur, etiam in festo simplici posse ordines memoratos conferri: quod nemo dicet, haud obstante, quod nonnulli apud Gobat, loc. cit., n. 474, id de festo semiduplici admiserint.

55. *Notabilis declaratio sacræ Congregationis concilii Tridentini quoad hoc.* — Et hactenus dicta amplius probantur, ac pro tollendo omni dubio firmantur ex declaratione sacræ Congregationis concilii Trident. quam Prosper Fagnanus, olim dictæ Congregationis secretarius, et hac ratione memoratæ sacræ Congregationis secreta penitus investigans, fideliusque allegans, in c. *De eo*, n. 42, h. t., refert in hæc verba:

« (Præsupposito, quod minores ordines possunt conferri diebus cominiciis, aut alias festis; dubitatur an appellatione *Diei Festi* comprehendatur festum, in quo ab Ecclesia fit officium, an vero deberet esse festum, quod a populo colatur.

» Secundo: Idem est dubium quoad promovendos vigore dispensationum de promovendo extra tempora diebus festis.

» Tertio: An ex consuetudine possit episcopus uno, et eodem die, ad minores ordines aliquos promovere.

» Quarto: An ubi consueverit ordinatus ad quatuor minores ordines die Veneris, in die Sabbati sequentis ad ordinem subdiaconatus promoveri, id sit licitum propter consuetudinem.

» Ad primum sac. Congregatio concilii censuit comprehendere dies festos, qui a populo servantur, toto tit. *de Fer.*, *de Consec.*, dist. 3, cap. I, c. 12, sess. 25, *de Regular.*

» Ad secundum idem respondit.

» Ad tertium, præsupposita consuetudine posse.

» Ad quartum, licere episcopo, si dies Veneris sit dies festus, et si necessitas, aut utilitas Ecclesiæ judicio episcopi id exposcat, juxta decretum concilii, cap. XI, sess. 23, non tamen in publicis ordinationibus, sed privatim, et aliquibus, prædictos minores ordines conferre.) Hæc ibi. » (ADNOTATIO XLV.)

§ III.

DE QUALITATIBUS ORDINANDORUM.

56. *Ordinem recipi valide, et licite, quid? — Quæritur I. Quænam generatim requirantur ex parte ordinandorum? Ubi supponendum*

est, quod dupliciter intelligi possit, quidpiam requiri ex parte ordinandorum; primo, ut sacramentum ordinis valide recipiant: secundo, ut etiam licite. Et quidem valide tunc intelligitur ordo recipi, quando ita recipitur, ut valeat, et subsistat ordo receptus, ac proinde non amplius sit reiterandus. Et hoc fieri potest, etiamsi quis hoc sacramentum recipiat in peccato mortali, atque per ejus receptionem actu peccet, dummodo nihil desit de essentialiter requisitis ad ipsius validitatem. Licite tunc intelligitur recipi ordo, quando non solum valet ordo receptus, sed insuper receptio ipsius fit licito modo, seu absque peccato. His prænotatis

57. *Ut valide recipiatur, quæ sufficiant? Solum masculi sunt capaces sacramenti ordinis.* — Resp. I. Ad validam ordinis receptionem, præter debitam materiam, et formam ac intentionem ministri, et suscipientis, si is sit adultus, requiritur, ac sufficit ex parte ordinandi sexus masculinus, simulque quod sit baptizatus. Ita communis. Nam, quod soli masculi sint capaces sacramenti ordinis, non autem femine, desumitur ex can. *Mulieres*, dist. 32, ac tradit Scotus, in 4, dist. 23, q. 2, ubi hoc refundit in legem divinam, atque ordinationem Christi. Id ipsum patet tum ex perpetua traditione Ecclesiæ; tum ex eo, quia neque B. V. MARIA hanc potestatem ordinis a Christo Filio suo accepit, non obstante, quod fuerit dignior ac excellentior universis Apostolis.

58. *Diaconissæ et presbyteræ, quæ? — Nec obstat can. Diaconissam*, 27, q. 1, ubi dicitur: « Diaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari, statuimus: » sicque videtur sequi, quod post tale tempus possit ordinari. Resp. enim cum Glossa, ibid. §. *Ordinari*; et Doctore subtili, cit. dist. 23, q. 2, § *Ad secundum principale*, id esse intelligendum non de vera ordinatione, sed quia super talem feminam fiebat aliqua benedictio, ex qua consequeretur aliquod officium speciale: ut puta, quia ex ordinatione abbatissæ, vel collegii, tunc competebat ei legere homilias, aut Evangelia in Matutino, quod non licebat aliis: sed ille non erat actus alicujus ordinis. Eodem modo respondet Barbosa, in cit. can. *Diaconissam*, 27, q. 1, n. 3 et seqq.; quamvis addat, quod secundum opinionem Waldensis, *de Sacramentis*, tit. VII, cap. LVIII, n. 7, diaconissæ in præallegato textu, dicuntur uxores viduæ diaconorum, quemadmodum constat, presbyteras dici uxores presbytero-

rum, per textum, in can. *Presbyter.*, et can. *Mulieres*, dist. 32.

59. *Sine baptismo, sacramentum ordinis non recipitur.* — Porro, quod ad validitatem ordinis, ex parte ordinandi requiratur baptismus jam susceptus, liquet ex eo: quia baptismus est fundamentum, et janua omnium sacramentorum Novæ Legis, can. *Cum itaque*, § fin. *de Consecr.*, dist. 4. Ac proinde sine ipso sacramentum ordinis valide non potest recipi, can. *Si quis per ignorantiam*, 1, q. 1. Unde, in cap. *de Presbyt. non ordinat.*, dicitur: « Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur. »

60. *Ut ordo licite recipiatur, requiritur status gratiæ.* — Resp. II. Ut Ordo licite, et absque peccato, ac rite secundum constitutiones Ecclesiæ recipiatur, plura requiruntur ex parte recipientis, sive ordinandi. I. Status gratiæ; hic enim requiritur ad dignam receptionem cuiusvis sacramenti Novæ Legis. Huc reduci potest exterior vitæ, morumque probitas, de qua diligens examen circa ordinandos præmitti jubetur, in can. *Quando*, dist. 24, ex concilio Trident., sess. 23, cap. v, *de Reformat.*, et concordat illud divi Apostoli, 1 *Timoth.*, v, 22, *Manus cito nemini imposeris.*

61. *Et quod quis sit legitime natus. Ac nulla censura, vel canonico impedimento detentus. Et habeat animum permanendi in statu clericali.* — II. Ex parte ordinandi requiritur, ut sit legitime natus. III. Ut nulla censura ecclesiastica, seu irregularitate, vel alio canonico impedimento sit detentus; prout tum in sequentibus titulis, tum in propriis locis amplius dicitur. IV. Ut habeat animum clericandi, seu permanendi in statu clericali, juxta concilium Tridentinum, sess. 23, cap. iv, *de Reformat.*, ubi statuitur, ut prima tonsura non initientur, nisi illi, « de quibus probabilis conjectura sit eos non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præsentent, hoc vitæ genus elegerint. » Quod si secus fiat, aut sine justa causa status clericatus postea deseratur, erit peccatum saltem veniale: nam a mortali excusat levitas materiæ.

62. *Quod sit confirmatus.* — V. Ut quis licite ordinetur, imo et prima tonsura initietur, requiritur, quod sit confirmatus. Patet ex concilio Tridentino, sess. 23, cap. iv, *de Reformat.*, ubi dicitur: « Prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susce-

perint, » etc. Quod si tamen secus fiat, valebit quidem ordinatio, sed scienter sic ordinans, imo et ordinatus peccabit. An autem tale peccatum sit mortale, vel dumtaxat veniale, dixi in *Theologia morali*, tract. IV, dist. 3, num. 49.

63. *Ætas legitima; et qualis?* — VI. Requiritur. Ulterius in promovendis ad sacros ordines ætas legitima, et a jure præscripta. Est certum: intellige, nisi cum aliquo sit legitime dispensatum. Etsi autem antiquitus minor ætas suffecerit, prout liquet, ex Clem. *Generalem*, 3, *de Ætat. et qualitat. præficiend.*, ubi potest quis libere in decimo octavo ad subdiaconatus, et in vigesimo ætatis anno ad diaconatus ordinem promoveri: jure tamen novo concilii Tridentini, sess. 23, cap. xii, *de Reformat.*, « Nullus imposterum ad subdiaconatus ordinem licite promovetur ante vigesimum secundum, ad diaconatum ante vigesimum tertium, et ad presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum. » Sufficit autem annus hujusmodi saltem inchoatus, etsi tantum per medium diem, aut unicam horam sit inchoatus: prout ex communi docet Herincx, disp. 10, *de Sacramento ordinis*, quæst. 7, n. 72. Idque patet ex praxi Ecclesiæ, quæ sic citatum decretum Tridentinum semper intellexit.

64. *Annus, quot dies habeat? An pro initio sequentis anni debeat addi unus dies?* — Ubi tamen notandum, quod annus habeat trecentos sexaginta quinque dies, et ferme sex horas (undecim videlicet minutis deficientibus) tanto enim temporis intervallo sol zodiacum perstruat. Unde in computando initio vigesimi quinti anni ætatis, ad sacerdotium requisiti, etiam habenda est ratio illarum sex horarum: non enim potest dici inchoatus ejusmodi annus, nisi vigesimus quartus annus de momento in momentum, adeoque etiam quoad illas sex horas, sit perfecte completus, simulque aliquod temporis spatium, ut puta medius dies, vel saltem una hora, pro inchoatione sequentis anni superadditum. Quamvis autem hæc difficultas hactenus cessaverit, eo quod sex illæ horæ per additionem diei bissextilis, singulis quaternis annis factam, jam fuerint suppletæ; quia tamen anno millesimo septingentesimo, juxta regulas correctionis calendarii Romani more solito non intercalabatur dies bissextilis, sicque non supplebantur sex illæ horæ proxime elapsis quatuor annis ultra 365 dies restantes, ac insimul totam diem constituentes: hinc ab anno Do-

mini millesimo septingentesimo, usque ad annum vigesimum quintum ejusdem sæculi, semper addi debet unus dies ultra anniversarium vigesimi quarti suæ natiuitatis diem, ut quis possit dici inchoasse vigesimum quintum ætatis annum. Atque in simili casu ita fuisse declaratum a sacra Congregatione concilii Tridentini refert Fagnanus, in c. *Ad nostram*, n. 24, *de Regularib.*, ubi inquit, quod eadem sacra Congregatio die 6 novembris 1592, censuit habendam esse rationem tum in promovendis ad ordines, quam in admit-tendis in professionem, illorum decem dierum subtractorum in calendario Gregorii XIII, ita ut addendi sint illi decem dies subtracti. Hæc ille.

65. *Ad ordines minores non requiritur determinata ætas.* — Dicitur notanter num. 63, *In promovendis ad sacros ordines.* Siquidem ad primam tonsuram, et quatuor ordines minores licite suscipiendos, non requiritur determinata ætas, dummodo adsit sufficiens scientia una cum aliis requisitis: quamvis ante annum decimum quartum (saltem inceptum) tales non possint obtinere beneficium ecclesiasticum; prout decrevit concilium Trident., cit. sess. 23, cap. vi, *de Reformat.*, et notat Barbosa, ibidem, n. 2, cum aliis.

66. *Requiritur in ordinandis debita scientia; et qualis?* — VII. Insuper requiritur debita scientia in ordinandis: illitterati enim, ad ordines non sunt promovendi, can. 1 et seqq., dist. 36. Concordat illud propheticum Osee, cap. iv, 6, *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Requirit autem concilium Trident., cit. sess. 23, cap. iv, *de Reformat.*, ad primam tonsuram, ut initiandus sit fidei rudimenta edoctus, et sciat legere, et scribere. Ad quatuor ordines minores requiritur, juxta cit. concilium Trident., cap. xi, ut ordinandi saltem linguam latinam intelligant. Ad subdiaconatum, et diaconatum postulat idem concilium, cap. xiii, quod ordinandi sint instructi in litteris, et iis, quæ ad ordinem suum exercendum pertinent. Et tandem ad sacerdotium exigit in ordinandis tantam scientiam, ut possint populum docere ea, quæ scire omnibus ad salutem necessarium est; simulque ministrare sacramenta.

67. *In regularibus autem non requiritur tanta scientia, ac in aliis; et cur?* — Verum, quod in religiosis non requiratur tanta scientia, quanta in clericis sæcularibus ordinandis, notat Sylvester §. *Clericus*, 2, n. 1; Rodericus, tom. I, *Quæst. regular.* quæst. 21.

art. VII; Diana, part. III, tract. II, *de Dubiis regul.* Resolut. 86; Miranda, tom. II. *Manual. prælat.* quæst. 8, art. VII, § *Dico primo*, asserens hoc esse certissimum, ac consuetissimum, Lauretus de Franchis in *Controversiis inter episcop. et regular.*, numer. 302, citans alios plures. Ratio est: quia clerici sæculares ordinantur ad peragendas functiones ecclesiasticas, quæ concernunt curam animarum, saltem indirecte; atque ideo debent habere sufficientem scientiam in ordine ad ipsas. Econtra religiosi communiter non ordinantur ad curam animarum, sed ad assistendum choro, ministrandum altari, atque ad celebrandum Missas; unde sufficit, quod sciant necessaria ad hæc sacra ministeria rite peragenda: nam si applicentur aliis ecclesiasticis functionibus curam animarum concernentibus, ut est concionari, confessiones excipere, indigent nova approbatione, et applicentur dumtaxat idonei. Deinde quoad religiosos semper remanet spes, atque occasio comparandi majorem, et exactiorem scientiam de rebus ad suum officium pertinentibus; eo quod continuæ instructiones circa hoc fieri soleant in monasteriis bene regulatis, tum per alios fratres litteratos et gnaros, tum per ipsosmet superiores, quod non tam facile contigit circa clericos sæculares. Si tamen non nemo sæcularium ordinari desideret in eum dumtaxat finem, ut pro sua devotione Missam celebret, non autem ut quoquo modo curæ animarum se applicet, nec tunc quoad ipsum requiri tantam scientiam quanta est necessaria in aliis, notat Franchis, loc. cit. n. 303.

68. *Quæ alia in ordinandis requirantur. Remissive.* — VIII. Requiritur ex parte ordinandi legitimus titulus sustentationis. IX. Ut ordinetur a proprio episcopo, vel saltem obtinerit licentiam, seu litteras dimissorias, ut ab alio ordinari valeat. X. Ut servet interstitia temporum. Et de hisce tribus agatur singillatim in progressu. Tandem, ut taceantur alia his similia, requiritur debitus ordo inter receptionem unius, vel alterius ordinis; ita videlicet, ut nullus ordinetur per saltum, recipiendo ordinem majorem, prætermissum minorem, puta diaconatum ante subdiaconatum, vel presbyteratum ante utrumque, aut ante alterum eorum; uti patet ex cap. un. *Clerico per saltum promoti*, ubi de hoc.

69. *Per titulum, Ut quis ordinari valeat, quia intelligatur?* — Quæritur II. An, et qualis titulus sustentationis requiratur, ut quis possit

ordinari? Resp. Per *Titulum* in proposito intelligitur beneficium ecclesiasticum, vel aliud medium sese honeste sustentandi. Et vocatur a nonnullis *Titulus sustentationis*, a *Pontificali Romano* autem absolute *Titulus*. Cum enim non deceat, ut clerici, divinis officiis specialiter adscripti, cum ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exercent; idcirco nemo ad sacros ordines admittendus est, nisi ejusmodi titulum, seu medium sese honeste alendi, possit ostendere: prout tum can. *Neminem*, et can. *Sanctorum*. dist. 70, tum in concilio Tridentino, sess. 21, cap. II, *de Reform.* expresse habetur.

70. *Titulus ad ordines minores non requiritur.* — Dicitur, « ad sacros ordines: » nam ad ordines minores non requiritur titulum, tenet communis doctorum, ac praxis Ecclesiæ. Ratio est: quia clerici in minoribus constituti, si se clericaliter sustentare nequeant, libere possunt nubere aliaque negotia sæcularia exercere. Et hinc concilium Trident., loc. cit. notanter prohibet solum, ne quis sine titulo « ad sacros ordines promoveatur. »

71. *Titulus est triplex I. Beneficii ecclesiastici.* — Resp. II. Ejusmodi titulus ad ordines sacros requisitus, triplex est, nimirum beneficium, patrimonium, et paupertatis. Ita *Pontificale Romanum*, tit. *de Ordinatione subdiaconi*, cum communi. Primus itaque titulus est beneficium ecclesiasticum, dum tale quis pacifice possidet. Et tale beneficium non potest aliquis postmodum resignare, nisi facta mentione, quod ad illius beneficium sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constituto, quod aliunde vivere commode possit: aliter autem facta resignatio, nulla est; prout decrevit concilium Trident. cit. cap. 2.

72. *II. Patrimonii; et an tale possit alienari?* — Secundus titulus est patrimonium, vel pensio. Ut tamen ad hunc quis ordinari possit, requiritur insuper, quod episcopus judicet, talem pro utilitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum esse assumendum, illudque patrimonium, vel pensionem, et ad vitam sustentandam sufficiens esse, et vere ab ipso obtineri; ut statuit concilium Trident. loc. cit. illico subjungens, quod etiam tale patrimonium, vel pensio, posthac sine licentia episcopi alienari, aut extinguere, vel remitti nullatenus possit, donec ordinati beneficium ecclesiasticum sufficiens statui sui sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum canonum pœnas super his innovando

73. *III. Paupertatis, seu professionis religiosæ.* — Tertius titulus est paupertatis, seu professionis religiosæ. Siquidem religiosi professi, utpote propter Christum omnia sua relinquentes, nihilque proprium in hoc mundo possidentes, ordinantur ad titulum paupertatis, juxta *Pontificale Romanum*, loc. cit. Etenim paupertas voluntaria, quam volunt religiosi, approbatam ab Ecclesia religionem profitentes, tenet vicem tituli beneficialis, cum ipsis monasterium de alimentis providere tenetur: imo et pro opibus computatur; nam bene custodita, præsertim altissima paupertas Fratrum Minorum, hæredes et reges regni cœlorum instituit, ut horum regula cap. VI, loquitur. Unde non mirum, quod concilium Trid. sess. 21, cap. II, *de Reform.* de hoc titulo paupertatis mentionem non fecerit, sed tractaverit solum de titulo clericorum sæcularium; ut patet ex illis verbis: « Statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, » etc.

74. *Nequeunt ordinari ad hunc titulum religiosi non professi, aut qui ad certum dumtaxat tempus sunt professi.* — Verumtamen beatus Pius V, in bulla *Contra male promotos*, edita, 4 octobris 1568, quæ incipit: *Romanus Pontifex* (ac refertur tom. II *Bullarii Romani*, constit. 75, dicti Pontificis) gravibus de causis dictum decretum concilii Trident. extendit ad omnes, et singulos cujuscumque ordinis clericos religiosos non professos (ut sunt novitii) sensæculares, more religiosorum in communi viventes, qui nunquam, aut non nisi ad certum tempus, professionem emisissent, et ex claustro exire possunt: unde hi omnes non possunt ordinari, nisi observata forma concilii Tridentini, sub pœnis in eadem bulla beati Pii V contentis. Atque hoc ipsum habere locum tam in non professis, quam in nulliter professis censuit Rota in *una Urgellen. canonicatus*, 3 martii, 1593, coram illust. Blanchetto, quam refert Nicol. Garcias, part. II, *de Beneficiis*. cap. V, n. 11, et post ipsum Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 19, n. 5, citans alios. Siquidem nulliter professus, revera non est professus; cum talis professio nullam inducat obligationem, nullumque juris effectum.

75. *Et quid de religiosis Societatis JESU?* — Speciale aliquid circa hoc habent religiosi Societatis JESU, ut post emissam, absoluto novitiatu biennio, vota substantialia, etsi simplicia, possint ad sacros ordines, ipsumque presbyteratum promoveri, juxta bullam

Gregorii XIV. *Ecclesiæ catholicæ* § 16, et aliorum Pontificum concessionem. Verum, quia nonnunquam contingit jam ordinatos a Societate dimitti, hinc, ne tales in opprobrium ordinis clericali mendicare cogantur, tenentur prælati ejusdem societatis, taliter dimissis de honesto victu providere, donec sufficiens beneficium ecclesiasticum consequantur; prout declarasse Sixtum V refert Barbosa, cit. allegat. 19, n. 7.

76. *Quid censendum de titulo mensæ?* — Resp. III. Prædictis tribus titulis, juxta praxin, et antiquam consuetudinem Germaniæ, et quarundam aliarum regionum, addi potest titulus *Mensæ*, vi cujus vel princeps territorialis, vel civitas quædam, aut monasterium per litteras se obligat, præstandi in subsidium tali clerico necessaria alimenta, quando is præ infirmitate, vel decrepitate ætate, vel alio casu amplius se honeste sustentare nequiverit, ne alioquin in opprobrium ordinis clericali mendicare cogatur. Et hujusmodi titulus ex eo potissimum hinc in partibus usu invaluit; quia in parochiis, præsertim amplioribus, opus est pluribus clericis cooperantibus, nec beneficia adeo frequentia existunt, ad quæ iidem possent ordinari: unde horum defectum munificentia principum territorialium, seu aliarum communitatum, ex zelo propagandæ religionis christianæ, per concessionem tituli *Mensæ* supplere gestiebat. Verum de hoc titulo mensæ utpote consuetudine solum introducto, jura mentionem non faciunt: fusius tamen de ipso disserit Ludovic. Engel, in *Collegio juris canonici*, lib. I, tit. 14, *De Ætate et qual. præficiend.*, num. 14, et seqq. ubi varias quæstiones practicas circa titulum *Mensæ* erudite resolvit.

§ IV.

DE SUBDITIS EPISCOPI QUOAD EFFECTUM ORDINATIONUM.

77. *Unusquisque a proprio episcopo est ordinandus.* — Quæritur I. An quisvis a proprio episcopo sit ordinandus, et quot modis quis censeatur subditus ejus? Resp. I. Certum est, quod unusquisque non nisi a proprio episcopo sit ordinandus, nullusque possit ordinare extraneum, nec etiam primam tonsuram huic conferre absque proprii superioris licentia. Textus est in can. 1, et seqq. dist. 72, et can. *Nullum Episcoporum*. 9, q. 2, et c. *Eos*

qui, 2, et c. *Episcopus*. 4, h. t. in 6, juncto concilio Tridentino, sess. 14, cap. II et III, *de Reform.* et sess. 23, cap. VIII, *de Reform.*, ubi sub gravibus pœnis infra declarandis, id fieri prohibetur. Et merito: tum, ut dissensiones evitentur, quæ suboriri possent inter episcopos, si unus alterius subditos, eodem ignorante, ac sæpius invito, ordinare præsumeret, can. 1, dist. 71. Tum, ut obvictur malitiis hominum, atque indigni et ignorantes ad sacros ordines non promoveantur, qui alioquin clericales ordines, quos a propriis episcopis forsitan sibi jam denegatos dolent, aut ex certis impedimentis canonicis sibi denegandos fore merito verentur; ab extraneis episcopis, nullamque de ipsorum defectibus notitiam habentibus, in animarum suarum perniciem, et ecclesiastici ordinis dedecus, recipere præsumerent.

78. *Subditus episcopi, quoad ordines recipiendos, quatuor modis quis censeatur, quibus? Natus in una diocesi, et in alia habens domicilium, vel beneficium, potest a quolibet earum episcopo ordinari.* — Resp. II. Quatuor modis censeatur quis subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos, videlicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficium, et ratione triennalis familiaritatis seu commensalitalis cum episcopo. Ita communis; et patet ex c. *Cum nullus*. 3, h. t. in 6, ubi priores tres modi comprehenduntur illis verbis: « Superior in hoc casu (scilicet quantum ad dandam licentiam recipiendi ordines ab alieno episcopo, et multo magis ipsos conferendi) intelligitur episcopus, de cujus diocesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus: seu in cujus diocesi beneficium obtinet ecclesiasticum: seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in ea. » Et quia hic textus loquitur disjunctive, hinc ille, qui in una diocesi natus est, in altera fixit domicilium, et in tertia beneficium recepit, potest a quolibet earum episcopo ordinari. Nicol. Garcias, part. II, *de Beneficiis*, cap. IV, n. 2; Pirhing, h. t. n. 30, et alii, ac favet textus in L. I, C. *de Municip.* lib. X, ubi habens alium locum originis, alium incolatus, cogitur in utroque loco munera subire. Porro quartum modum, triennalis videlicet familiaritatis cum episcopo, addit concilium Trident. sess. 23, cap. IX, *de Reform.*

79. *An etiam uno horum electo possit quis variare, suscipiendo cæteros ordines ab alio?* — Verumtamen dictum illud, quod quis a quo-